

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Sacrum Pentecostale Rite Celebrandum Invitat

Tietze, Immanuel

[Leipzig], [1722?]

VD18 13485059

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197619](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197619)





129 D:8

[E20]

24 RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
A D
S A C R V M
PENTECOSTALE
RITE CELEBRANDVM
I N V I T A T .




Inter cætera, quibus SPIRITVS SAN-
CTVS in sacris litteris designatur, no-
mina titulosque, egregia in primis
atque significantissima est appellatio
ea, qua, ob præstantissimum, quod fide-
libus præstare solet, officium, ὁ ΠΑΡΑ-
ΚΛΗΤΟΣ vocatur. Ita enim CHRIS-
TVS, Servator noster, in eo, quem paulo ante suum ex hoc
mundo discessum, discipulis valedicens, habuit, sermone,
quater illum hoc nomine appellavit. Primum, Ioh. XIV,
16, ubi dicit: *Et ego Patrem orabo, καὶ ἄλλον ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΝ*
δώσει ἡμῖν, ut alium vobis concedat PARACLETUM, qui præ-
sto sit, & in perpetuum apud vos maneat, nempe Spiritum veri-
tatis, & reliqua. Inde, v. 26: PARACLETVS autem ille, Spiritus
Sanctus, quem Pater meo nomine mittet, ille vos omnia edoce-
bit, & simul omnia abs me dicta in memoriam vobis revoca-
bit. Porro, cap. XV, comm. 26: Vbi autem venerit PARA-
CLETUS, quem ego vobis mittam a Patre, Spiritus veritatis,
qui a Patre procedit, ille de me testimonium perhibebit. De-
nique cap. XVI, v. 7: Sed hoc vere vobis affirmo, vestra omnino
refert, ut ego hinc discedam, nisi enim abiero, PARACLETUS
ille ad vos non veniet, quod si autem ivero, illum ad vos mit-
tam. Quemadmodum autem his dictis, τὸ ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΥ
nomine, neminem alium, quam Spiritum Sanctum, tertiam
Dei-

Deitatis personam, a Patre & Filio ab aeterno procedentem, indigitiari, certum exploratumque est, ipsoque etiam factò confirmatur, siquidem vix terra relicta cœlum petierat Salvator, cum, τὴν ἐπαγγελίαν τῆ ἀγίας Πνεύματος λαβὼν παρὰ τῆ Πατρὸς, Apostolis suis promissum hic mitteret *Paracletum*, nempe in sacro Pentecostali Spiritum Sanctum in ipsos effundendo: (a) ita mirari satis nequeo impiam MANETIS, famosissimi illius hæresiarchæ, amentiam, qui se *Paracletum* hunc, quem CHRISTVS missurum se promiserit, esse prædicavit, suisque sectatoribus persuadere illud conatus est. (b) Nec minus stulte atque nefarie Muhammedani Pseudoprophetæ suo *Paracleti* nomen vindicant, eundemque a Servatore nostro, iis, quæ recitavimus, locis, designatum videri volunt. Et-

(2

enim,

(a) Vid. Act. Apost. Cap. II. conf. Luc. XXIV, 49. Act. I. 4.

(b) Ita enim de eo refert THEODORETUS, hæret. fab. lib. cap. ult. p. 214: *Ἐτόλμησεν ἑαυτὸν ὁ παμπόνηρος Πνεῦμα ἅγιον ὀνομάσαι καὶ ἐπεσόλθαι ἔφησε κατὰ τὴν τῆ Σωτῆρος υπό- φησιν, κ. τ. λ. Homo ille omnium nequissimus ausus est, se ipsum appellare Spiritum Sanctum, missum se prædicans juxta Servatoris promissionem.* Et CHRYSOSTOMVS, Homil. LXXII, de Spiritu Sancto, Opp. Edit. SAVIL. T. VI, p. 740: *Μόνης λέγει· ἐγὼ εἰμι ὁ Παράκλητος, ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Σωτῆρ τοῖς ἀποστόλοις. Manes dicit: ego sum PARACLETUS ille, quem Servator Apostolis promisit.* Plura Patrum atque scriptorum ecclesiasticorum eam in rem dicta legi possunt apud THOMAM GATAKERUM, Adversariorum Miscell. Posth. cap. XXXV, p. m. 792. Idem GATAKERVS, l. c. hæreticum illum teterrimum, ipsum *Manetis* nomen ideo assumisisse, opinatur, quippe quod nomen haud quaquam origine Græcum, sed Hebraicum esse, & τῶ , quæ vox *consolatorem* sive *paracletum* significat, respondere, pluribus demonstrat. Ceterum, MONTANVM quoque hæresiarcham, eodem furore actum, pro Paraceto, a CHRISTO promisso, sese venditasse, veterum nonnulli tradiderunt. vid. GATAKERVS, l. c. & B. ITTIGIVS, de Hæresiarchis, Sect. II, cap. XIII, §. 3.

enim, quemadmodum GREGORIUS ABVL FARAIVS, Malatienſis, (c) tradit, Islamitarum docti aſſerunt, factam fuiſſe mentionem MOHAMMEDIS, in libris a DEO cœlitus demiffis, nempe in Lege, in libro Pfalmorum, (d) atque in Evangelio, & ex Evangelio quidem huc detorquent locum: *Si ego non abeam, Paracletus ad vos non veniet.* (e) Vnde etiam, ALI IANNABIO teſte, (f) inter nomina titulosque τὸ πλάυνε, iſt-hunc referre, & *فالقلاط* Paracletum eum appellare ſolent. Alii Moslemorum longius progrediuntur, & Prophetam ſuum, ſeu, ut vero proprioque illum vocabulo, appellemus, impoſtorem, a CHRISTO, cum Paracletum a Patre miſſum iri dixerit, nominatim prænuntiatum fuiſſe contendunt. Et
hi

(c) in Narratione de origine & moribus Arabum, ab ED. POCO-
KIO edita, Oxoniæ, anno 1650, Sect. I, p. 15, & 16.

(d) Ex Lege, pro hac ſententia ſua adducunt, locum, Deuteron.
XXXIII, 2. & ex Pfalmis, Pf. L, 2: quibus Perſa quidam addit
Jefa. XXI, 7: ſed quam indignis modis iſthæc Scripturæ dicta a
Muhammedis torqueantur, luculentiffime iam oſtendit, ſimul-
que ab eorum *Ψευδοερμηνεία* pleniffime illa defendit doctiffimus
noſter FRICHSMVTH, in peculiari *ad illa Scripturæ loca, qui-
bus & Turcarum & Perſarum doctores, Muhammedem, veri no-
minis, & a Deo promiffum, fuiſſe Prophetam, probare fatagunt,*
exercitatione, Jenæ an. 1685, propoſita, & in Theſauro Theologico
Philologico Diſſertationum exegeticarum, qui Amſtelod. an. 1701,
prodiit, T. I, p. 398, & ſeqv. denuo exhibita. Conf. LVDOV. MA-
RACCIUS, in Prodroſo ad Refutat. Alcorani, P. I, p. 15. ſeq. ubi
hæc & alia plura, quæ pro MVHAMMEDE Moslemi doctores
ex utroque Teſtamento proferunt, vaticinia vindicantur.

(e) Ahmet Ben Abdala, in epiſtola de Articulis quibusdam fidei,
p. 23, editionis GRAPIANÆ, ad hoc etiam dictum reſpiciens:
*Sanctiffimus, inquit, Propheta noſter, MAHVMEVS, eſt ille
ipſe PARACLETVS, de quo fit mentio in Evangeliiis.*

(f) Vid. POCOCKIUS, in notis ad ABULFARAIVM, p. 185.

hi quidem, ex recepta inter suos sententia, Bibliorum nostrorum integritatem in universum negantes, speciatim quoque, IESV de *Paracleto* dicta, a Christianis corrupta olim atque depravata fuisse, clamant, ita quidem, ut pro ΠΕΡΙΚΛΗΤΟΣ, quod ipsum fuerit Prophetæ sui nomen, cum περικλητος idem sit atque Arabicum: أحمد *Abmed*, vel محمد *Mohammed*, (g) levi immutatione, aliam, nempe ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΥ, substituerint vocem. Hoc scilicet σοφῶν φαρμάκων opus erat, ad obtegendum magnum & impudens mendacium, a Mohammede dictum in Corano, Sura LXI: (h)

قَالَ عِيسَى ابْنُ مَرْيَمَ يَا بَنِي إِسْرَائِيلَ أَنِّي
رَسُولُ اللَّهِ إِلَيْكُمْ مَصَدَقًا لِمَا بَيْنَ يَدَيَّ مِنْ
الْتَّوْرَةِ وَبَشِيرًا بِرَسُولٍ يُأْتِي مِنْ بَعْدِي اسْمُهُ
أَحْمَدُ

Dixit, IESVS, filius Mariae: O filii Israel, ego sum legatus Dei ad vos, confirmaturus id, quod traditum fuit ante me de Pentateucho, & annuntiaturus Legatum, qui veniet post me, nomen ipsius erit AHMED. Sed age, paucis jam dispiciamus, quam belle, scilicet! quæ de Paracleto, ad Apostolos mittendo, CHRISTVS prædicavit, in MOHAMMEDIS personam conveniant, ut vel hinc appareat, adultores ejus, nec

(3

(g) Nempe voces illæ Arabicæ, *Ahmed* & *Mohammed*, a verbo حمد *laudavit*, deductæ, *laudatum*, valde celebratum, significant. De his Pseudoprophetæ nominibus, præter alios, consulendus est HOTTINGERVS, Hist. Orient. L. I, c. 2, p. 12. seqv.

(h) pag. 718, Edit. MARACCIANÆ.

nec adulterata lectionis quidquam proficere commento. Salvator noster optimus, discessum suum, propediem instantem, discipulis annuntians, ipsisque vale dicens, mœstos eorum perturbatosque animos hoc potissimum promisso erigit atque consolatur, quod alium mox *Paracletum*, doctorem & auxiliatorem, eundemque perpetuo præsto eis futurum, missurus esset. Sed MOHAMMED, post sexcentos demum annos, ortus est, occiditque, infensus Christiani nominis hostis, & totius pene Orientis seductor. *Paracletus*, quem CHRISTVS annuntiat, est τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, Spiritus veracissimus, CHRISTI discipulis veritatis viam tradens. MOHAMMED, Πνεῦμα τῆς πλάνης, homo fuit fallacissimus, suisque deceptionibus & mendaciis magnam orbis terrarum partem opplevit. (i) De illo, Servator dicit, dicta sua omnia eum in memoriam Apostolis revocaturum, illum amplissimum de CHRISTO testimonium daturum: Εκείνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τῆ ἐμῆ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Ille, inquit, me glorificabit, de me accepta vobis renuntiaturus. Hunc, nempe MVHAMMEDEM, verborum CHRISTI, in Evangeliiis relatorum, turpissimum contortorem, non illi, sed sibi, idque falsissimum, testimonium dixisse, cœlestemque illius doctrinam abolendo, & novam, execrandam nobis detestabilemque, procudendo religionem, suam, tam nefario scelere, gloriam amplificare, unice allaborasse, constat. *Paracletum*, quem CHRISTVS venturum prædicat, mundus recipere non potest, ὅτι ἔθεωρεῖ αὐτὸν, εἰδὲ γινώσκει αὐτὸν, quod eum neque videt,

(i) Fraudes magni istius impostoris, præ ceteris egregie prorsus detexit, celeberrimus ille Ecclesiæ Anglicanæ Theologus, HVMFREDVS PRIDEAVX, in eo, quem de vita MVHAMMEDIS conscripsit, libro. Tertia, quæ ad manus est, editio prodiit Londini, anno MDCXCVIII, huncque titulum gerit: *The true Nature of Imposture fully display'd in the Life of MAHOMET.*

videt, neque agnoscit. MVHAMMEDEM, Pseudopphetam, mundus & vidit, & magnam partem imposturis ejus decipi se passus est. Mitto iam cetera, de *Paraceto*, Apostolis promisso, a Servatore nostro dicta, quæ divino lumine collustrati nos, Spiritui Sancto, tertiæ Deitatis personæ, unice convenire scimus, nec sine blasphemia ad mortaliū quemcunque transferri posse, verissime existimamus. Iam vero, quod ad putidum illud Moslemorum, de corrupto Evangeliorum codice, speciatimque, de expuncto MVHAMMEDIS nomine, facta τῆ περικλητος in τὸ παροικητος transmutatione, commentum attinet, operam certe luderemus, si falsissimam hanc, quam omnia, etiam antiquissima, quæ supersunt, textus Græci pariter, atque versionum, ante MVHAMMEDIS tempora confectarum, exemplaria; omnes, qui per tot sæcula, antequam impostor ille ortus est, in Evangelium IOHANNIS commentati sunt, Ecclesiæ Christianæ doctores; omnia historiarum monumenta, manifesti mendacii convincunt, prolixè jam confutare aggredieremur. Ceterum, quæ hæcenus dicta sunt, indicio esse possunt, qualis futura sit illa, quæ iussu & auctoritate Turcarum Imperatoris, si quidem vera sunt illa, quæ haud ita pridem in ephemeridibus Leidenibus (k) publice relata accepimus, Constantinopoli iam adornatur, Sacrorum Bibliorum versio Turcica, una cum annotationibus, ad Alcoranum comparatis. Sed valeant Muhammedani, habeantque suum, qui placet, impostorem! Nos, quem illi non noscunt, neque adeo suscipere possunt, PARACLETVM agnoscentes, SPIRITVM, inquam, SANCTVM devotissima mente colamus, excel-

(k) De Constantinople, le 27. Janvier. Le Grand Seigneur a donné ordre d'imprimer la Bible en Langue Turque avec des Notes, qui soient relatives à l'Alcoran; Mais le Muphti se donne de grands mouvements, pour obliger Sa Hautesse de revoquer cet Ordre.

cellentissimisque ipsius bonis ex animo gaudentes, sacrum, quod eius speciatim honori dicatum est, iamque iterum instat, Pentecostale rite celebrare instituamus. Quo nomine etiam, *Vtriusque Reip. Proceres Gravissimos, & Generosissimos atque Nobilissimos Academiae Cives*, ad solennem panegyrim, in qua Præstantissimus Doctissimusque Iuvenis, Dn. GOTTLLOB FRIDERICVS GVDIVS, Lauba Lufatus, Sacrarum Litterarum cultor studiosissimus, *Martyres, Divinitatis Spiritus Sancti testes*, commemorabit, perofficiose, peramanterque invitamus. P.P. Lipsiæ, in Vigiliis F. Pentec.

A. O. R. clō Idcc XXII.

LITERIS IMMANUELIS TITII.



129 D:8

1018

